



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XX. Idem Priori, & fratribus a Cartusien.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

præfata Potestas ad eundem scholarem suos nuncios destinavit, ut exponeret, si qua sciret de fure prædicto, vel traderet intersigna: qui cultrum, quod ipse latroni abstrulerat, & sotulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat sibi, ne pedum strepitus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil amplius aintromittens. Potestas igitur receptis talibus intersignis, latronem ipsum apparitoribus suis tradidit puniendum, qui illi amputaverunt virilia, & oculos eruerunt: latro verò se ad quoddam cœnobium transtulit, & ibi per triduum ira, & dolore commotus, nec potum sumpsit, neque cibum, & sic de medio est subtractus. Unde per nostrum potestas oraculum edoceri, utrum præfatus scholaris ad sacros ordines valeat promoveri? Nos igitur inquisitionis taliter respondemus, quod si præfatus scholaris dignis meritis adjuvatur, propter præscriptum eventum a susceptione sacrorum ordinum nullatenus est arcendus.

NOTÆ.

1. **I**ntromittens.) Idest nec accusans, nec testimonium perhibens, aliàs esset irregularis, nisi præmissa protestatione, de qua in cap. 2. hoc tit. in 6. ubi plures conegit Cenedus Collect. 12. Gibalin. de irregul. c. 4. difficult. 11. & sequenti. Iranzo de protest. considerat. 46. Ratio est, quia quando clerici, vel laici aliquem accusant absque protestatione, eorum voluntas per talem accusationem manifestè fertur ad homicidium, vel membri mutilationem; unde in præsentis scholaris non iudicatur irregularis, etiamsi signa dedisset, ut cognosceretur fur, qui postea ex punitione iudicis decessit; quia signa illa nullo modo ad mortem, vel membri mutilationem referri poterant, sed tantum aliquod leve indicium præbebant: quæ quidem causa remota fuit homicidii, & ita irregularitas contracta non fuit.
2. **b** Virilia.) Foran juxta morem ipsius Provincia; nam in aliis Provinciis furibus aures amputantur; ut probat, & illustrat Langleus libr. 10. semest. cap. 2. & in ipsa Gallia lex Salica jubet ser-

vum, qui quadraginta denarios furruperat, castrari, ut. 3. de furto. §. 2. Apud alios in aure signum inurebatur. Sanctus Vincencius Ferrerius serm. 4. Dominica 2. Epiphan. ibi: Sicut latroni datur cantherium igneum, vel scinditur in aure signum furri, ut cognoscat: sic Deus in signum illius furri, quod Adam faciebat, homines circumcidi in illa parte verecundosa iussit. Et de Pertis refert Thomas Morus in sua Utopia. Apud Bajubartos manus furibus servis amputari jubentur, c. 6. legum Bajubar. in hæc verba: Si quis in exercitu aliquid furaverit pastorium, capistrum, frenum, seltrum, vel quecunque involaverit, & probatum fuerit, si servus est, perdat manus suas. Castratio de qua in præsentis, dicitur extrema pœna ab Apuleio lib. 7. in fin. & puerile supplicium à Martiali libr. 2. epigram. 60. ubi notavit Ramiresius: & plura de hac pœna cumtulavit Theoph. Raynaud. tom. 1. tract. de triplici eunuchismo. An verò talis abscissio hodie in pœnam delicti à iudice imponi possit? quarunt DD. Nègat Guill. Benedic. in c. Raynuntius, vers. Qui cum alia. n. 16. de testam. Affirmat Gibal. tom. 1. de negot. lib. 1. c. 4. art. 3. consell. 9. n. 6.

CAPUT XX.

Idem Priori, & fratribus Cartusien.

Sicut ex literarum vestrarum tenore accepimus, cum quidam Presbyter vestri Ordinis, qui prius fuerat niger monachus, quandam mulierem prænantem, cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, & quæ assererat se concepisse ab eo, pere zonam arripuerit quasi ludens, ipsa postmodum mulier sic ex eo se asserit fore læsam, quod occasione huiusmodi abortivit: propter quod idem presbyter proborum virorum usus consilio se ipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos verò devotioni vestre insinuatione præsentium respondemus, quod si nondum erat a vivificatus conceptus, poterit ministrare, alioquin ab altaris debet officio abstinere. Datum Later. IV. Non. Oct. Pont. nostri anno XIV.

NOTÆ.

1. **C**artusien.) Ita etiam legitur in quarta compilatione, sub hoc tit. cap. 4. & in ipsis epistolis Innoc. III. lib. 2. registr. 14. epist. 107. ex quo registro textum hunc transcribo. De hoc præclaro Cartusienium Ordine nonnulla adduxi in cap. per tuas; desmonia.
2. **b** Niger monachus.) Idest Benedictinus, ut probavi in cap. 10. de temp. ord. Possunt enim om-

nes Religiosi cujuscunque Ordinis ad Cartusienium Ordinem, tanquam strictiorem se transferre, ut probavi in cap. licet, de regular.

3. **c** Zonam.) Zona est genus cinguli, quo modo accipitur tam apud prophanos, quàm sacros scriptores. De prophanis Zonis plura conegit Salmasius in notis ad Spartianum fol. 15; De sacris fusè agit Saufay in Panopl. sacerdot. 1. p. lib. 3. cap. 6.

d Vivificatus.) Juxta tradita in cap. si quis, supra hoc titul.